

SANCTUS LULLUS

MOGUNTINUS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN SANCTUM LULLUM.

(Ex Fabric. Biblioth. mediae et inf. Latinitatis.)

Sanctus Lullus, sive Lullo, qui et Julius, Anglus, post sanctum Bonifacium magistrum suum archiepiscopos Moguntinus ab anno 753 ad 786 vel 787 : de quo Surius 16 Octob.; Lelandus, cap. 103; Baleus xiiii, 56; Pitseus, p. 156; Serarius lib. iv., p. 371

A seq. Aliquot ejus epistolas videre nobis contigit, inquit Flacius in Centuriis Magdeburg., scc. viii, pag. 453, ut ad Osvitam, ad Leobgytham, ad Gregorium, ad Denehardum, ad Thuringos, ad Cœnam. Ex illis deinde nonnulla profert, quæ ibi videantur.

SANCTI LULLI EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

LULLUS DALHUNO.

(Anno Domini 752.)

Reverendissimo fratri Dalhuno, jam dudum magistro Lullus indignus diaconus, sine prærogativa meritorum diaconatus officio fungens, optabilem in Domino salutem.

Almitatis tuæ clementiam intimis precibus flagito, ut meæ mediocritatis carinam fulcire digneris tuis almis oraminibus, quatenus tuarum orationum intercessionibus, seu pelta protectus, ad portum salutis pervenire merear, et piaculorum meorum in hoc terreno ergastulo veniam consequi, sicut jam præterito anni circulo, per Denewaldum fratrem nostrum, litterarum mearum portitorem, deprecatus sum. Ergo vilium munusculorum transmissio schedulam istam comittatur non tam digna quam devota mente directa. Similiter obsecro ut mihi Aldhelmi episcopi aliqua opuscula seu prosarum, seu metrorum, aut rhythmicorum, dirigere digneris ad consolationem peregrinationis meæ, et ob memoriam ipsius beati antistitis; et mihi per aliqua verba tuæ assibilitatis, indica, quid de istis valeat precibus tua fraternitas perficere, quæ inhianter audire satago. Bene valent te et proficitem in prosperitate dierum, et intercedentem pro me exopto longis temporibus.

Fama est scitili' us cœnasse Agathoclea regem.

Atque ab acum Samio sepe onerasseluto.

Fercula gemmatis cum pôneret aurea vasis,

Et mis eret opes pauperiemque simul.

Querenti causam respondit: Rex ego qui sum

Sicanie, ilugo sum genitore satus.

Fortunam reverenter habe, quicunque repente

Dives ab exiguo progrediere loco.

EPISTOLA II.

INGALICE LULLO.

(Anno Domini 752.)

Claro atque charissimo Dei ministro Lullo Inga-

lice, indignus presbyter tuus, tamen per omnia devotus famulus in Domino optabilem salutem.

Litteræ namque prudentiæ tuæ et murera largitatis tuæ ad me usque directa pervenerunt, quibus diligenter lectis et consideratis, post præmissam pacificam salvationem, si bene intellexi, insinuasti nobis erga vos diversas molestias et tribulationes, quæ sæpe solent in hoc mundo occupare servos Christi secundum Apostoli sententiam: *Omnès, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur;* contraque omnia tentamenta, orationum nostrarum, qualiacunque sunt, adminicula humiliiter postulasti; quod et omnis congregatio nostra pro vestra sospitate sedulo ad Dominum preces fundere studuit, et nunc, amantissime diacone, quia vicem describendo eruditiois tuæ scriptis, propter parvitatem ingeniali mei, digne debitum persolvere non potui, tamen scio quia vera charitas omnia sustinet. Haec pauca verba rusticitatis meæ cum minimis munusculis, id est, quatuor cultellos nostra consuetudine factos, et calamistrum argenteum, et mappam uam, per fideliem portitorem fratrem vestrum, imo nostrum Aldredum amabili præsentia tuæ tantum pro memoria charitatis transmittere curavi. Quæso fraternitatem tuam ut eo animo a te hæc suscipiantur, quo a me destinata noscuntur. Sed et intercessorem nostrum apud Deum, venerabilem Bonifacium præsulem, omnis caterva fratrum nostrorum cum abbatio in Dei dilectione salutare desiderat.

EPISTOLA III.

ULLUS LEOBGYTHÆ.

(Circa annum Domini 752.)

Sorori in Christo charissimæ Leobgytha Lullus exiguis servus, auctoritate domini Bonifacii discipulorum, in Domino salutem.

Non immemorem tuæ sagacitatis industriam æstimio evangelicæ sententiae qua dicitur: *Beati pauperes*